HIERONYMUS

Salzburg, Ende 11. Jh.

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26080
Copyright: Admont, Benediktinerstift

dominum precipientem. Fugite de medio babilonis, et saluate animas uestras.
Et usque ad diem mortis suę non est reuersa in caldeam. nec ollas egipti
et uirulentias carnium desiderauit. sed choris comitata uirgineis. ciuis
est saluatoris effecta. et de paruula bethleem cęlestia regna conscendens
dicit ad ueram noemi; populus tuus populus meus. deus tuus deus meus. Hunc tibi librum
ad duas lucubratiunculas eodem quo tu sustines dolore dictaui. Nam
quotienscumque stilum figere uolui. et opus exarare promissum. totiens obri-
guerunt digiti. cecidit manus. sensus elanguit; unde et inculta oratio
uotum scribentis absque ulla elegantia et uerborum lepore testatur. Uale
paula. et cultoris tui ultimam senectutem orationibus iuua. fides et ope-
ratio tua (vel oracio) christo te sociant. presens facilius quod postulas impetrabis.
Exegi monumentum ęre perennius. quod nulla destruere possit uetustas.
Incidi elogium sepulchro tuo. quod huic uolumini subdidi. ut quocumque
noster sermo peruenerit. te laudatam. te bethleem (conditam) lector agnoscat.
Scipio quam genuit pauli fudere parentes TITULUS SEPULCHRI.
Graccorum suboles agamnonis inclita proles. Hoc iacet in tumulo paulam dixere priores.
Eustochię genitrix. romani prima senatus. Pauperiem christi et bethleemitica rura secuta est.
Respicis angustum precisa rupe sepulchrum. IN FORIBUS SPELUNCAE.
hospitium paulę est cęlestia regna tenentis. Fratrem. cognatos. romam. patriamque relinquens
Diuitias. subolem. bethlemitico conditur antro. Hic presepe tuum christe. atque hic mystica magi
munera portantes. hominique deoque dedere. Dormiuit sancta et beata paula
septimo kalendas februarii. tertia sabbati post solis occubitum. sepulta est
quinto kalendas earundem. honorio augusto VI. et aristenio consulibus.
Uixit in sancto proposito romę annos V. bethleem annos XX. Omne
uitę tempus impleuit annis LVI. mensibus VIII. diebus XXI.